

chitectum & oratorem, & dabo adolescentes principes eorum, & paruuli dominabuntur in eos, &c. A
Exemplo fit regnum Roboam. De rebus nostri seculi, notum est omnium sensatorum conscientijs.

PSALMVS LXXXVIII.

CANTICVM PSALMI FILIORVM KORAH, AD PRÆ-
cinendum super infirmitate ad humiliandum, intel-
lectus Hæman Efraïtæ.

Quamquam Kimhi Ebræus etiam hoc Psalmo ingenuè fatetur, non constare ipsis quoque Iudæis, quæ sit epigrapharum, quæ Psalmis præfixæ sunt, ratio: tamen ut aliquo pacto lectori seruiam, quam variè præsentis Psalmi epigrapha legatur, annotabo. Illud, *Super infirmitate ad humiliandum*. Ebr. est *למלח* quod Chaldæus reddidit, *על צלותא לשבחה*: id est, *Super oratione ad laudem*. Grecus, *ὑπὲρ μαλῆθ ἢ ὑπερὸν ἰσχυρῶν*: id est, *Pro Mæleth ad respondendum*. Pagninus: *Super Machalath ad canendum*. Felinus: *Ad Mahelath propter afflictionem*. Hieronymus: *Per chorum ad præcendum*. Augustinus Iustinianus Genuensis: *Per chorum ad exultationem*. Et Augustinus, licet cum Græco legat, *Pro Meleth ad respondendum*, per *Meleth* tamen *chorum* significari dicit: intelligens Psalmum hunc ob eam causam sic esse inscriptum, ut in choro præcinendi ac respondendi vicibus alternatim caneretur: Felix, cuius hæc versioem retinui, verit: *Super infirmitate ad humiliandum*. Varietatis huius ratio ex duabus dictionibus nascitur *למלח* & *למלח* quæ quoniam varia significat in causa sunt, quod epigrapha ista varè redditur. *למלח* namque aliquando orationem, aliquando infirmitatem significat & *למלח* quandoque idem est, quod *Respondit*: quandoque ut in Kal, *Humiliatus est*, & in Koued *Afflixit*: aliquando etiam *Laudauit* significat, unde videlicet est, quod quidam secundum posteriorem hanc significationem, vel *Ad præcendum*, vel *Ad laudem*, vel *Ad canendum*, vel *Ad exultationem* reddendum putarunt: reliquorum alij *Ad respondendum*, alij *Ad humiliandum* alij *Ad affligendum*, priores dictionis huius significationes sequuti, reddiderunt. In hac varietate visum est eam seruare versionem, quæ ad argumentum Psalmi propius accedere videtur: utpote, *Super infirmitate ad humiliandum*: præsertim cum subiiciatur, quod hic Psalmus intellectus sit *Hæman Efraïtæ*. Is enim demum verus est in afflictis rebus pij animi intellectus, si cogitemus nos ad hoc diuinitus affligi, ut humiliemur in conspectu Dei: ad quam rem plurimum corporis facit infirmitas.

ARGUMENTVM PSALMI.

Exprimit Propheta hoc Psalmo angustiati ac supra modum afflicti animi, nimium extrema periclitantis, querimonias, quibus se mortis angustias, propter morbi vehementiam sentire & horrere, deinde frustra noctes ac dies ad Deum vociferari miserandis modis conqueritur. Habet autem hoc peculiare præ reliquis præsens hic Psalmus, quod prorsus nulla consolatione clauditur.

Dispositio Psalmi.

Potes hic Psalmus in duas partes diuidi: ut prima versu 1. & 2. orationē habeat, qua Propheta exaudiri se à Deo petit: altera, reliquis versibus omnibus ad finem vsq; tota querimonijs consumatur.

PRIMA PARS.

VERS. I. **D**OMINE Deus salutis meæ, per diem clamo, in nocte coram te.
2. Veniat in conspectum tuum oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.

Nihil est in his verbis obscuri. Hac prima Psalmi parte Propheta, de afflictionis, siue infirmitatis, qua premebatur, vehementia conquesturus, orationem præmittit: qua tamen nihil à Deo precatur aliud, quam ut orantis ad se clamorem ad conspectum suum admittat, & placatus exaudiat. Domine, inquit, Deus salutis meæ, per diem clamo, in nocte coram te. Quid Domine, quem solum habeo salutis meæ authorem & conseruatorem, ad te vnum in hac afflictione mea clamo, idque noctes ac dies, sine vlla vide licet intermissione, precor itaque, ne orationem meam iratus respicias, sed benignus ad conspectum tuum admittas: nec aurem tuam à clamore meo auertas aut obtures, sed hæc, more eorum qui placido vultu afflictorum querelas percipiunt, ad vociferationem meam inclines. Nam hac vna in re spes mihi reliqua est, futurum esse, ut ab hac calamitate liberer, si preces meas placatus exaudias.

QBS. I. Domine Deus salutis meæ.] Quamuis hic Psalmus omni consolatione destitutus, & animum magis desperandum, quam spe aliqua præditum exprimere videatur: initio tamen illius Propheta nihil adhuc fidei ac spei erga Deum suum in eo primum declarat, quod Dominum Deum salutis suæ vocat: deinde, quod petit, ut oratio ipsius ad conspectum Dei admittatur, & ut ille aurem ad clamorem suum acclinet. Nisi enim aliquid adhuc fidei ac spei in animo illius reliquum fuisset, nec Dominum salutis suæ Deum vocasset, nec pro exauditionis beneuolentia ad eum orasset. Videmus ergo hoc loco, nondum prorsus obtinere desperationis tentationem in animis piorum, quantumuis omnia questibus & vociferationibus adimpleat, donec Deum salutis ipsorum agnoscant, & pro exauditione orant.

OBS. 2. Per diem clamo, in nocte coram te.] Videmus hæc, quanto serio, quamque irremissa vociferandi & approbati contentione, in afflictionibus pij, præsertim si mortis premantur angustijs ad Deum clamantes ac dies: id est, sine intermissione, ad Deum suspiramus, ploramus, & clamamus. Vsuuenit hoc etiam pij mentibus, ut supra modum rebus prosperè habentibus, in oratione frigeant, ita ut tatis admirari